

EXCURSUS I.

AD SCHOLIUM VS. 244. LIN. 25. SQQ.

Qui satis fuimus verbosi in scholio emendando et explicando, iidem novam disputationem ad ultima eius verba sustinemus addidisse. Placuit vero haec in calcem libri reiicere, quia non, ut illa, necessaria sunt scholio intelligendo, sed solam opportunitatem praebent ad ea, quae olim de Sophoclis Aleadis scripsi partim emendanda partim defendenda. Accidit enim, quod vix sperandum fuerat, ut libellus meus in censuram vocaretur eamque Welckeri, viri in his rebus spectatissimi. Qui cum intellexisset, me nolle pro certis venditare incerta, nec iurare in verba sua malle quam ipsum iudicare, non indignum me censuit vir doctus, cuius spiritus reprimeret satis iniqua censura, in *Zimmermanni Zeitschrift für Alterthumswissenschaft* 1835. p. 1091. sqq. expressa. Quam cum anno demum postquam excusa est liceret inspicere, elapsam ratus respondendi occasionem tempori committendum duxi iudicium. Accedebat, quod probe intelligebam, non multos fore quibus ideo improbarer, quod non essem secutus modum Welckeri in mythis tradendis, vera cum falsis omnibus miscentem, quodque de tetralogiarum ratione et de fine tragodiae iudicasset aliter, atque iucundum esset Welckero. Nam quanquam ii laudandi potius quam vituperio obnoxii videntur, qui mythologiae artiumque fontes et naturam investigare student, tamen ii semper vapulabunt, qui somnia sua pro certo affirmant. Quod saepissime in Welckero notatum est merito. Qui vir cum sit et ingenii et doctrinae copiis instructissimus, tamen levitatis dum alios facit reos, ipse non potest levissimus non videri. Quis enim vituperetur iure, quod cunctatus sit sequi eo, quo introeuntes videat plurimos, exeuntem neminem?